







1794 nr. 4ba identisch mit 4c  
" 4bb " " 4d  
" 4f ist fälschlich hinter 4g einge-  
gebunden.

1795

1. Hommel, Christianus Gottlieb: Ord. iuris bii... Documens:  
lectio benevoli s.p. Vicet. (ad Reputacionem Petri Alberti  
Schmidti in instab.) Exponuntur breviter de jure ecclesie  
Iustitiae singularibus in mutuo.
2. Krogstøl, Iacques Joquin Crotus: Ultima photomphica scripturae  
interpretatio, quoniam commentarii Kanti, admissi possunt  
in explicando N. T.
3. Kuegelius, Ernestus Ignatius Christianus: De legi commissoria  
speciatione processorum actionium ex causatae
4. Holenkauw, Berthold Fridericus: De iuris, quantum et ad quae  
processu licet in terris Ecclesiasticis subjectis.
5. Strelle, Christopherus Crotus: De iustitia procurarum capi-  
tulam, quae in Sacra Scriptura ablineant.
6. Strelle, [Strelle!], Christopherus Crotus: De iure literorum  
illegitimorum successori in venturis breviem proportionem  
secondum Sacrae Scripturae leges, artem politican, et usum fori  
Kamici.
- 6 - Titius. (6 - Titius)
- 6 - Titius - Neumann
- 6 - Titius - Seelburg

7. Triller, Carolus Fridericus: Observacionum de pacis  
iustitiaeque summis ex placitis iuris naturae recte  
aerismentis specimen 6.
8. Wormstorffius, Gottlieb: Ord. jas. . . . Decimus: Pector  
benigno salutem (et populacionem ~~iam~~ in isti Pectoris  
Pestenacori intenta)
9. Wormstorffius, Gottlieb: Ord. jas. . . . Decimus: (ad  
populacionem ~~iam~~ Pontis Silomini Iudearum intenta)
10. Wormstorffius, Gottlieb: Dissertatio, sive que disquisitorum: An  
ex legibus Iudaicis, fractis industrielis, maxima labore  
parte peracta; semper et profectuario carent?
11. Wiesandus, Georgius Stephanus: De 21stis iurantibus manu salutata  
vel pectori impressa.
12. Wiesandus, Georgius Stephanus: Auctor forensis quatuor  
Peculia contractis a feminis facta sunt salutis.
13. Iachariae, Carolus Salinus: Origines contractorum, quae in  
imperio Sacro Romani - Germanico celebrantur.

1ab Charidius 1<sup>a</sup> Boehmer

1796.

- 1<sup>b</sup> Hommelius, Christianus Thorelli: De paenitentia, quae ex  
mambo est juri deliquit. 1<sup>b</sup> Kreyer - Wittenberg  
1<sup>c</sup> Kreyer 1<sup>d</sup> Kreyer 1<sup>e</sup> Kreyer 1<sup>f</sup> Kreyer  
2<sup>a</sup> Thalitzius, Iacobus Augustus Hieronymus: De substantiatione  
2<sup>b</sup> Observatio legis suo ex principio juri Iuris  
2<sup>c</sup> Tius - Wittenberg

3. Wiesandus, Georgius Stephanus: Ord. ius . . . . Romanus: Rec-  
tori generali salutem (ad representationem in ang. Prodi-  
cuntis Bratii, instat.)

4. Wiesandus, Georgius Stephanus: Recuperationes iuriis

5. Wiesandus, Georgius Stephanus: Recusa et effectu processus  
processus; 1797 1<sup>a</sup> Boehmerus, Georgius Adolphus: De plantis  
monstrosis praesertim a Cavallero dispositis.

1797 1<sup>b</sup> Hoffmann

1<sup>c</sup> Huguenot, Thielab Fredericus Christophorus: De jure sociorum  
centralsatis armatae contra Anglos.

2<sup>a</sup> Knebel, Ernestus Gottfridus: Collegii iuris - - - et legum:

1. b.o. (ad representationem in ang. Prodi - Frederic. Christo).

In anglois instat) Inst: Litteris multitudine publice

2<sup>b</sup> Knebel  
2<sup>c</sup> Knebel - Renatus

3. Zacharie, Carolus Salomon : tractatus i[n] famis & fuedo  
sine acquiescenc[i]a sine retinenda prohibet?

7. Zacharie, Carolus Salomon : De libertate Romanorum et civi-  
tatis Germaniae ab' m[od]o concessa.

*geht vor 42*

*13*

DE  
SIGNIFICATIONE VOCVM PHILOSOPHICA  
A VULGARI PHILOSOPHIAM TRACTANTI-  
BVS CVRATIVS DISTINGVENDA

DISPUTATIO PHILOSOPHICO-CRITICA

QVAM

EX DECRETO PHILOSOPHORVM  
AD LOCVM ASSESSORIS ORDINARI IN ORDINE PHILOSOPHICO

OBTINENDVM

P R A E S E S

CAROLVS FRIDERICVS  
ROSENHAHN

ORDIN. PHILOS. ASSESS. EXTRAORDIN. ET AD AED. ARC.  
DIACONVS

A. D. V. IDVS OCTOBR. A. O. R. C<sup>1</sup>CC<sup>1</sup>CC<sup>1</sup>XCV  
H. L. Q. C.

PUBLICE DEFENDET  
ADIVTVS RESPONDENTE  
CAROLO GODOFREDO HENRICO  
SCHVNDENIO

OBERWINCKELIO - MONTANO

VITEMBERGAE  
LITERIS TZSCHIEDRICHII

ГРЮЛАНДІЯ  
ІНДІЯ  
ІСЛАМІЯ  
ІСЛАМІЯ  
ІСЛАМІЯ

DE  
SIGNIFICATIONE VOCVM PHILOSOPHICA A  
VVLGARI PHILOSOPHIAM TRACTANTIBVS  
CVRATIVS DISTINGVENDA.

§. I.

*Instituti ratio.*

**Q**uod iam omni fere tempore viderunt docueruntque philosophi, controuersias permultas, de philosophiae placitis exortas, originem duxisse e male intellectis eiusdem terminis: a) eius rei persuasio in primis hac nostra aetate, vel leuiter attento ad animum penetrat. A quo enim philosophia omnis nascitur est interpretem criticum et acutissimum, cuius diligentia et summa circumspetio ad fines usque ultimos cognitionis humanae progreedi visa est: factum quoque est, ut alii, rerum naturae altius indagandarum cupidi, ipsum sequerentur principem, alii vero, iisque haud pauci, variis moti caussis, adversum

- a) Egregie hac de re differit LOCKE, de Intell. hum. lib. III, cap. X, §. 22.  
WERENFELS totum concripsit librum *de Logomachiis Eruditorum*; cf. c. VII, §. I. „*nigari non posse*, inquit, maximam plerumque eorum culparam esse, qui senecciam eorum, quibuscum dispartant, perperam intelligunt. Qui duplice mibi nomine ridendi videantur, et, quod ea se capere putant, arque adeo gloriantur, quae non captiunt, et, quod inepta hac persuasione ducti, starim ad arma prouocant; ita non absimiles, qui, cum de bello somniant, hostem ad portas esse rati, noctu surgentes, amicum quemlibet pro hoste inuadunt.“

versum ipsi tenerent, eiusque dogmata impugnarent. b) Qua quidem in re nolumus iam omnes ac singulas enumerare causas, quibus tot fere recentiores philosophi adducti, extiterunt huic philosophiae aduersarii, quot iverunt eam comprobatum et vberiori luce collustratum: sed potius unam, veluti primariam inuentam, separatim spectare, eo consilio, ut nobis occasionem praebeat, nosmetipso communones faciendo, ne eandem ingrediamur viam erroneam in studiis nostris philosophiae impendendis. Quaerentes enim, unde tandem euenerit, ut philosophia critica non pauciores inuenierit impugnatores, quam habuerit fautores atque cultores, haud difficile perspiciunt, quosdam illorum vel primos huius philosophiae terminos male intellexisse, adeoque iudicio suo confidentes, ad placita ipsa arrodena animum appulisse; horum vero non paucos, nouitati rei, hominibusque placendi studio mirifice indulgentes, absqueulla cognitione eius accurata, laudibus ipsam cumulasse, quid? quod eam statuisse, quae vlo modo falli nequeat. c) Nobis quidem hac in causa

b) hoc pertinent EBERHARD, et autor libri, qui inscribitur AENESIDE-MVS, 1792 edit. FEDER, über Raum und Caussalität, zur Prüfung der Kantiſchen Philosophie 1787; WEISHAUPP, in den Zweifeln über die Kantischen Begriffe von Zeit und Raum 1789; nuperrime WREDE, in libro: Idealismus et Realismus, 1793; WERNER, in dem Versuch einer allgemeinen Aetiologye 1792; STORR, in den Anmerkungen über die Kantische Religionslehre 1793; DES MARÉES, in den Briefen zur Vertheidigung des Glaubens evangelischer Christen 1794. Indignissime de philosophia Kantiana iudicant die Neuesten Religionslebenb. 1790-93. p. 37.

c) vid. CROMAZIANO, Geschichte der Revolutionen in der Philosophie, in appendice p. 215 sqq. Quamquam nullus nego, autorem huius iudicii non inane posuisse studium in tractanda philosophia critica, dubito tamen, an a priori, ut loquuntur, demonstrari queat, autorem philosophiae criticae

causam persuasum est, philosopho atque docto quolibet maxime indignum esse, laudes innumeras aut reprehensiones in doctrinam quamcunque conferre, cuius dogmata non solum, sed adeo verborum vim explicare nescit. At vero non parvo opus est labore atque diligentia, dum in eo es, ut primas notiones philosophiae in genere, verbis eius subiectas, et ipsa elementa bene teneas; sed etiam multo maior huic operae impendenda est assiduitas ab eo, qui criticae in primis philosophiae operam daturum se proficitur. Quis enim est, quin sciat, philosophiam hanc raro vti terminis nouis, non solum a vulgari vsu loquendi, sed etiam ab ipso philosophico, qui haec tenus obtinuit, alienis; voces praeterea multis sumi significatibus magis definitis et limitatis, quam a caeteris philosophis; ob eamque causam et totam philosophiam multis visam fuisse obscuram, atque adeo errorream. Inde satis apparere putauimus, philosopho futuro et docto quam maxime attendendum esse animum ad voces singulas, earumque significatus, vt, si harum vim philosophicam recte distingue potuerit a vulgari, ad philosophiam cum fructu traclandam accedat. *d)*

§. 2.

*Cautio[n]es quaedam.*

Cum vero forte sint, qui putent, nos leuius nobis sumissè argu[m]entum enarrandum, profitendum est, neminem virorum doctorum

A 3 nostræ

criticae in illa tradenda omnis expertem fuisse erroris. Quod si demonstrari nequit, non potest dici philosophia critica in suo genere *una* atque *ultima*; cf. quae notat AENESIDEMVS p. 28. de ultimis philosophiae principiis.

*d)* eandem sententiam pluribus confirmat LOCKE, de Int. hum. lib. III. cap. IX. §. 21.

nostrae aetatis fuisse, qui hanc rem accurate definiret, aut nobis viam rectam monstraret, hac in quaestione ingrediendam. Vnus WOLFIUS Cel. in *Logica*, cap. VI. §. 140 sqq. vbi de stylo philosophico agit, videtur quaedam differuisse, ad causam nostram pertinentia; sed tantum abest, vt *criteria*, quibus distinguitur significatio philosophica a vulgari, exponat, vt doceat, *qua ratione adhibenda sunt linguae voces, et quomodo significatus vagi et indeterminati ad determinatos sunt reducendi;* vid. §. 144. Deinde vero et monet philosophos, vt singula genera et singulas species propriis nominibus insigniant, quaeque differentia quadam constante a se inuicem differant, diuersis quoque in philosophia nominibus appellant, §. 145. Quae de *cognitione distincta tradit*, §. 148. de qua nos infra disputabimus, §. 7. eam potius peti vult ex accurate terminorum definitione, quam ex ipsa significatione, *qua vocibus constanter tribuitur.* e) Quam ob causam etiam aequos nos

habemus, *ad hanc vocem, ut etiam ea nominibus, quae in aliis locis, non nisi in eius semiotica, c. IX. §. 318; ADELUNG, über den deutschen Sryl, vbi de usu loquendi differit, operamque virorum doctorum ad usum loquendi conformandum exponit, huius nostrae rei mentionem non initit, vid. I. B. c. I. §. 17. c. II, §. 3, 11-13. Consulimus quoque LEINNITIUM, in den unvorgreiflichen Gedancken, betreffend die Ausübung und Verbesserung der deutschen Sprache, qui nihil de nostra re, nisi hoc dicit: „Was die Wort und Weisen zu reden beirift, so muß man sich bären vor Unanständigen, Obnveruehmlichen u. Fremden oder Underueischen;“ cf. Tom. VI. opp. eius philos. part. II, p. 40 edit. DYTENS. LOCKIUS quidem spem fecit, se de discrimine usus philosophici a ciuili traditum, lib. III. cap. IX. §. 3. vbi hunc in modum differit: „Vocabulorum usum philosophicum voco, quando adhibentur voces, ad definitas rerum notiones cum aliis communicandas, et in prepositionibus uniuersalibus, ad certas quas-*dam

habituos iudices speramus, qui, si rei susceptae difficultatem re-  
ete perpenderint, operam nostram non plane inanem iudicabunt,  
duimodo viderint, nos hac scriptione aliis occasionem praebuisse,  
plenus atque doctius haec de re differendi. Qui vero existimant,  
nos de significatione vocum linguae cuiusdam singularis varia, nomi-  
natim germanicae aut latinae tradituros, monendi sunt, fines hu-  
ius disputationis latus patere, eamque, si inscriptionis ratio habe-  
tur accurata, non, nisi de vocabulorum vi philosophica a vulgari dis-  
cernenda in genere exposituram, in quacunque deinde illa inuenian-  
tor lingua. f) Quo vero in negotio nostram non est, de terminis  
philosophiae propriis, aut, qui dicuntur, technicis agere, quippe qui in  
philosophia inueniuntur sola, et ad vulgarem orationem non transeunt;  
sed de iis tantum, quibus communis usus est, et in vulgari, et in  
philosophica consuetudine. g) Qorum potestate philosophica, secundum  
dam et non dubias veritates exprimendas, in quibus mens acquiescit, dum  
in scientiae inuestigacione versatur. Duo isti usus multum inter se di-  
flant, atque multo minus accuratiois in uno, quam in altero requiritur,  
ut ex in sequentibus parchit. At in sequentibus disputar potius de eo,  
quo modo vii delens terminis ad philosophiam accommodare, quam  
vi usus philosophici, qui e repetitis eodem sensu terminis oritur, dis-  
criminis a civili exponat.

f) Consilium quidem coperamus, de discrimine usus loquendi philosophici  
a vulgari curatus obserando, differere; at mature intellectimus, nos  
in hoc opere perficiendo limites signatos excessuros esse. Quod cum  
res nostraræ impedirent, oportuimus tamen, ut aliquis existeret, qui  
hanc rem diligenter protractaret.

g) Sic v. c. termini Receptivitas et Spontaneitas, Kategorie, sunt philosophiae  
proprii, in primis criticae, quorum usum vulgaris consuetudo ignorat;  
at voces Erfahrung, Begriff, Vorstellung, Anschauung, et philosophica et  
vulgari significatione gaudere, constat.

criteria necessaria, a vulgari dignoscenda, a nobis diligenter perlustrata, sub finem addemus rationes, quae demonstrant, absque accurate obseruato discri-  
mine verborum, varie significantium, philosophiae cognitionem parum proce-  
dere; atque ita putamus, operam nostram fore absolutam.

## §. 3.

*Origo significationis vocum philosophicae.*

Ex his igitur colligi potest, nostram tractationem pertinere ad eas  
tantum linguae voces, quibus sunt plures significations, vt, illarum  
omnium bene gnari, eam, quae est philosophica, cognoscamus; atque  
ita vel ipsi recte iis vti, vel mentem aliorum, qui ipsas adhibent, be-  
ne percipere possimus. Est autem philosophis veris solenne, partim  
in sententiis de natura rerum ferendis, partim in dijudicandis aliorum  
actionibus, sequi principia certa et indubitate; eandem rationem *ple-*  
*rumque* obseruant in ipfa consuetudine sive vfu, qui in linguae voci-  
bus obtinet. Hinc factum est, vt, cognita varia vocum significatione,  
quae ab hominibus non philosophis ipsis tribuebantur, eam sibi ad-  
optarent, seruarent, et veluti suam redderent, quam videbant iure  
vocibus tribui, b) Sed et altius progressi, cum animaduerterent, ipsum  
illum vsum vulgarem, qui regulis interdum non nititur, ad rationes  
rectas reuocari atque conformari posse, ita, vt significationis cum  
voce conspiceretur coniunctio quaedam et vinculum, i) hanc, natu-  
ralern

b) hoc ias nititur rationibus, ob quas significatio quaedam cum voce con-  
iungitur, et etenim etiam philosophis competit hoc ius, vocibus qui-  
busdam pro genio suo videnti, quatenus rationes sequuntur iustas; de  
his vero in sequentibus plura.

i) exemplum suppeditat §. 4.

ralem quasi, constanter illis tribuerunt et retinuerunt. Hinc et curam habuerunt, ut vocabula multa, quae dicuntur synonyma, et in vulgari vsu promiscue adhibebantur, bene et commode discernerent, atque cuiilibet definitam potestatem darent.<sup>k)</sup> Denique cum interdum opus esset verbis, ad designandas ideas, cogitatione recisas, voces e vulgari vsu loquendi, arctiorem sensum offerentes, sumferunt, ad indicandas ideas generaliores.<sup>l)</sup> Quae philosophorum opera de vocibus linguae eiusdem effecit, ut sensim sensimque existeret usus quidam constans, significatio singularis, eiusdemque color philosophicus.

§. 4.

*Expositio generalis de discrimine viriusque significacionis vocum.*

Relicti autem subsidiis, quae a scriptoribus libellorum plerumque inveniuntur, et interdum praeter modum diripiuntur, nosrumque genus secuturi, ponimus, duplarem distingui posse significationem vocum, aliam *philosophicam*, *vulgarem* aliam <sup>m)</sup> eamque inter se, licet

non

<sup>k)</sup> e. g. termini *Gefühl* et *Empfindung*, *beschreiben* et *erklären*; illud enim ad formam externam rei pertinet, hoc ad notas rei internas.

<sup>l)</sup> ita vox *Anschauung* in philosophia latiorum significationem habet, quam in vulgari consuetudine.

<sup>m)</sup> non negamus, et plures distinctiones significationum constitui posse, sed haec ad cauillam nostram non pertinent. Caeterum tenendum est, nos opposuisse *vulgarem* significationem, i. e. eam, qua *vulgaris* virtut, *philosophicae*, i. e. illi, quae in scriptis philosophorum inueniuntur, secundum leges iustas et rationes formata. Vbi autem haec desunt, ibi significatio non potest vocari quoad materiam philosophica, sed modo quoad *formam externam*, i. e. quatenus significationes quaedam a philosophis adhibentur in libris.

non in omnibus terminis, tamen in multis vere differre, idque discrimen curatius obseruanti plurimum prôdesse.<sup>n)</sup> Sunt enim voces permulta, quarum significatus in scriptis philosophorum cernuntur singulares iisque constantes et perpetui, quique ad ideas cum aliis communicandas tam commode adhibentur, ut notionem definitam, distinctam, atque ab omni ambiguitate alienam offerant; contra vero iisdem vocibus vulgaris loquendi consuetudo utitur significatisbus, non quidem philosophico repugnantibus, tamen vacillantibus, pluribus rebus, iisque diuersis competentibus, ideoque obscuris. Inde plerumque sit, ut accuratius de his querentes dubitent, de quanam re definita ipsae intelligentur. Exempli loco sit terminus *Begriff*, qui in philosophia critica indicat complexum notarum intuitus variarum, quae comprehensae sunt notiones; atque hoc in sensu quidem nemo non videt, vocabulum istud recte et ad etymologiam sumi; at vero vulgaris usus aliam hunc vocabulo significationem non tribuit, nisi cognitionem in genere.<sup>o)</sup> Ex his autem patere existimamus, verum differeniem intercedere inter significationem vocum philosophicam et

vulga-

<sup>n)</sup> Cum opinari quidam possent, nos hic sub philosophica significatione vocum eam intelligere, quae in libris philosophorum obtinet; docemus, nos iam nullo modo autoritatem philosophorum eorumque solum quia tales sequi velle, quippe ille ipse iudicandus est secundum regulas certas; sed potius nos quamlibet significationem verborum vocamus philosophicam, i. e. eam, quae in tractanda philosophia iure abi-  
beri potest; dum sensum definitum, eumque rationibus iustis nitentem fundit; de hac re plura vide in §. 5.

<sup>o)</sup> sic dicimus: *ich habe einen Begriff von dieser Sache*, id nihil aliud significat, quam: cognitio mihi est eius rei sufficiens.

vulgarem. p.) Neque vero nos tangit, quod quis nobis contradicere possit: vocabula ipsa, a philosophis usurpata, ab uno hoc significatu, ab altero significatu alio adhiberi; ideoque vocabulis ipsis usum philosophicum eumque constantem tribui non posse. Sequeretur enim ex his nil aliud, quam, ipsam significationem verborum philosophicam eidem fortunae interdum esse omnino, cui vulgaris dicitur. q.) Quamquam vero, ut fatis constat, philosophi usui loquendi pro arbitrio regulas scribere non valent, tamen iis licet linguae vocibus ita, et secundum regulas indubitas eas conformare, ut notionibus et ideis suis apte exprimendis respondeant, et a rei peritis distincte cognosci possint. r.) Quam operam sicut nemo apud vulgum improbat, qui haud raro verborum quorundam usum relinquit et abrogat: ita et philosophi idem competere ius, nemo dubitat, dummodo utilitatem ex hac opera capiant, accutiori institutioni inferuientem. Ex hoc igitur philosophorum more utendi vocabulis linguae pro genio suo fe-

B 2 cundum

p.) sententiae nostrae non obstat, quod haec duplex significatio non in omnibus inueniatur terminis; libenter enim largimur, in multis vocabulis usum philosophicum nondum satis esse definitum. Exemplum suppeditat STEINBART in *Logica*, edit. tert. §. 275; attamen in multis vocibus hanc dupliem significationem cerni et distinguiri posse, quilibet nobis dabit.

q.) inde oritur interdum usus loquendi, philosophicae sectae singularis.

r.) Ita KANTIVS multis linguae nostrae vocabulis usus est significationibus, quibus haec tenus nemo utebatur, atque hoc modo institutio ipsius secta est colorem quendam singularem, qui multos offendit, licet philosophus ille sequeretur regulas indubitas, vel ex etymologia, vel ex analogia linguae desuntas.

cundum regulas indubitas, dijudicandum et eruendum est discrimen significationis vocum philosophicae a vulgari, de qua nunc speciatim agemus.

## §. 5.

*Criterium primum significationis vocum philosophicae, eiusque ratio.*

Studioſius indagantes criteria, quibus agnosciri ac definiiri potest significatio vocum philosophica, primum quidem putauimus, haec e scriptis philosophorum peti debere, cum sperari possit, philosophos ipsos usum vocabulorum philosophicum constanter sequitos esse; at vero alium fontem quererere cogebamur, cum intelligeremus, vel magni nominis philosophos et hic interdum dormitasse, minusque philosophice, i. e. definite, et absque omni ambiguitate differuisse.<sup>s)</sup> Altius igitur progressi, consuluimus finem summum, cui significations philosophicae inservire debent. Atque hac in causa non putamus, quemquam nos habituros esse repugnantem nobis; sed potius confidimus, neminem, si viderit, criteria, sive notas de sensu vocum, ad distinguendam duplēm illam significationem a nobis allatas et constitutas, ad consequendam finem illum necessario pertinere: easdem illas notas ad significations philosophicas referri debere, dubitaturum esse. Iam vero finis ultimus adhibendorum vocabulorum apud philosophos est, ut ideae et notiones definite ac distincte verbis tradantur. *Illa virtus*, quae in notione definita cernitur, pertinet ad eam vocis indolem, qua ideam offert neque latiorem, neque angustiorem, quam tradere voluit, qui verbo aliquo.

<sup>s)</sup> vide, quae notat in REINHOLDIO AENESIDEMVS, p. 69.

aliquo vtebatur.<sup>s)</sup> Qua cautione autem neglecta, oritur vacillatio, ambiguitas et obscuritas; haec *virtus*, qua *distinguere* scribitur, spectat accurate *obseruatam distinctionem* aliarum significationum, quae voci cuidam tribui solent.<sup>n)</sup> Secus agentes ansam praebent confusione*idearum* et *diλογιας*. Primum igitur criterium significationis verborum philosophicae in genere merito assertur hoc: *Vocum significaciones, quae idem definitam offerunt, sunt philosophicae.*<sup>v)</sup> Ut vero recte intelligimus, monendum est, hanc virtutem ante omnia e verborum *etymologia cognosci* debere.<sup>x)</sup> Quaerens igitur illam *vocum praestantiam*, ad etymologiam recurrit, vt, si haec offerat sensum nativum quasi et proprium et accuratum, illo vtatur, licet alii contra illum peccent philosophi. Exempli loco sit verbum *repräsentare* et *repräsentatio*; hoc atque illud non debet dici de prima intuitione rei cuiusdam, sed de *iterata cogitatione rerum*, aut oculis, aut menti proposita. In illo enim sensu etymologiae aperte contradicit, quod philosophicum

B 3

non

<sup>s)</sup> si quis e. c. hominem, quem videret praeditum esse facultate acute de quavis re iudicandi, diceret, gaudere præpollenti *intellectu*, philosophicam significationem relinqueret, et vulgarem sequeretur, valde ambiguam.

<sup>n)</sup> hoc apud Latinos in primis videre licet in verbis: *res, opes, autoritas, lex* cert. quibus tribuuntur significations tam diueriae, vt, iis apud scriptores antiquos inuentis, dubius sis, quamnam significationem tribuere debeas.

<sup>v)</sup> Quae WOLFIUS docet in *Logica lazina*, cap. V. §. 147: „terminos philosophicos semel receptos non esse immutandos, receptumque verborum significatum esse retinendum,“ non sine limitatione probari debent.

<sup>x)</sup> ubi haec defecerit, aliud fontem monstrabimus in §pho 6.

non est. *y*) Dum igitur etymologia ipsa vocum significationem quendam definitam ostendit, haec philosophica est, et esse debet, cum nitatur ratione grauiissima, e lingua ipsa petita. *z*)

## §. 6.

*Criterium alterum, ubi primum non inuenitur.*

**A**t vero obiectis, etymologiam in multis vocibus non inueniri, quippe quae interdum aut obsoleta sit, aut voces ipsae primitiae sint, atque aliarum radices, ideoque criterium primum non esse vniuersale, et ubique adhibendum. Iam vero et ne hic quidem libros philosophicos consulendos esse putamus, sed potius *analogiae* impendendam operam nostram. In hoc autem negotio perficiendo quilibet videt, nobis sermonem non esse de analogia grammatica, qua voces quaedam flectuntur et construuntur secundum formas similes, easque plures; imo vero nos loqui de ea, quae ad sensum et significationem pertinet. Ex hac enim analogia, seu e *similitudine formae vocum*, ad similitudinem

*y*) inde ortus est dissensus inter AENESIDEMVM ET REINHOLDIVM de hac notione. Ille ad usum loquendi vniuersalem provocat; at vero ex hoc, qui varius est et vulgaris, nihil potest decerni. Ex etymologia, puto, statim apparuerit, REINHOLDIVM minus philosophice adhibuisse hanc vocem. Deinde, eterque non distinxisse mihi visus est inter id, quod ob oculos ponitur, ad intuendum materialiter, et id, quod mens recordatione et imaginatione sibi ipsa praesentat secundum attributa; qua in causa eterque neglexit diligentiam philosophicam.

*z*) quam ob causam et termini technici et nomina rerum sunt philosophica nominanda, cum ex ipsa nominis etymologia ideam rei definitam elicere possit, cuius generis multa inuenis apud KANTIVM, e. c. *Synthesis, iudicia analytica, Receptivität, Spontaneität, Apperception* cetera.

nem significationis a) earum iure progredimur. Haec autem analogiae obseruatio in primis facit, ut cogitationes nostras distincte cum aliis communicare possimus, dum ex ea haud raro cognoscimus, voces quasdam, si accurate spectentur, diuerſas admittere significationes, atque hac cognita ambiguitate adducti, eam, quam nostram esse volamus significationem, diligentius indicemus. Quod exemplo illustrabimus sat gravi: Notum est, apud Latinos verbalia in *to* plurima, et apud Germanos verbalia in *ung*, studiosius perpendenti duplēm fundere significationem *formalem*, aliam actiua, in actione praefenti, aliam actiua, in actu perfecto, sive; ea dici cum de actione imperfecta, de statu, quo actio aliqua perficitur, tum de statu, quo actio aliqua perfecta est. Iam cogita laudatum illud vocabulum *Anschauung*, *intuitio*; nonne potest utroque modo commode adhiberi, vel de actione, seu de negotio, quo quis animum suum applicat ad aliquid intuendum? vel de actu, sive de effectu, qui in animo natus est ex intuitione; de complexu notarum variarum, quas animus intuendo abstraxit? b) Ex his igitur iam colligere licet significationis philosophicae

a) ita intelligas quaeſo: voces, quae similitudinem *formalem* habent, sive; quae pari modo finiuntur, easdemque partes orationis constituant: et eadem gaudent significacione *formali*, i. e. rationem et relationem habent eandem rerum, de quibus dicuntur; aut enim indicant statum *actuum*, aut *passuum*, aut *actionem imperfectam*, aut *absolutam*, aut sumuntur *latius*, aut *angustius*; aut sunt *immanenteris*, aut *transientis* significationis. Similitudo igitur, de qua loquimur, pertinet tantum ad *formam* significationis, non ad *materiam*.

b) horum vocabulorum et in lingua latina et in germanica ingens est multitudo, e. c. *comparatio*, *educatio*, *repraesentatio*, *compositio*, *narratio*,

phicae criterium alterum: In significationibus vocis cuiusdam variis, quarum altera rationem habet in analogia linguae, altera non; illa est philosophica, haec non; dummodo ambiguitas, illis forte inhaerens, orationis circumscriptio tollatur. c) His philosophum uti debere, et videre, vt, si etymologiam non inuenierit, analogiam sequatur, dubitari nequit. d)

## §. 7.

*Criterium tertium: accurata synonymorum distinctio.*

Sicut autem vulgarius loquendi haud raro etymologiam et analogiam in verborum significatis negligere, atque adeo interdum relinquere solet et abolere: ita et voces multas, quae significationis similitudine quadam gaudent, inicem permutat, sic, vt vox altera loco alterius adhibetur, ad exprimendam unam eandemque ideam. Quod et oratoribus commune est, qui sententiam suam auditoribus indoctis inculcate, eorumque animos flectere student. e) Attamen philosophus,

sum-

*ratio, eruditio; apud Germanos: Vergleichung, Erziehung, Vorstellung, Zusammensetzung, Erzählung, Belehrung et cetera. Non memini, me apud quemquam philosophum hoc discrimen, ratione horum vocabulorum invenisse expositum, quod profecto magni videretur momenti. STEINBART sensisse videtur hoc discrimen, cum voces distinguereat Gelehrsamkeit et Gelährtheit; quae voces simili distinctione gaudent, vid. Logicam eius, §. 246, edit. 1793. Fortasse et idem vult WOLFIUS, in Logica latina, cap. V, §. 149, sub fin.*

c) de hac limitatione plura in seq. §pho.

d) haec enim sunt illa principia indubitate, de quibus §. 3 exposuimus, et putauimus, ea philosophis qua talibus esse sequenda.

e) Hanc ob causam WOLFIUS vult, vt philosophus respuat verborum ornatum, qui oratores iunat; cf. Logica lat. §. 149, in nota, et §. 150.

summae perspicuitati et accusationi studens, ab illo merito abhorret  
more, ob nascendam ex synonymis vocabulis confusionem idearum,  
et obscuritatem. Quamquam vero concedi debet, cuilibet linguae  
adesse quasdam voces, quae plane eandem exhibeant significationem,  
tamen et negari non potest, multa vocabula, quae vulgaris vſus pro  
synonymis habet, accuratius quaerentibus distinguui debere.<sup>f)</sup> Ex  
quo iam in genere dignosci potest institutio philosophica ab ea, quae  
oratoris est, ad captum vulgi accommodata. Ea enim institutio, quae  
praecepta sua multis cumulat vocabulis synonymous, quoad formam  
non iudicanda est philosophica, propter incuriam in distinguendis vo-  
cibus, et *ἀνεβάλεις* defecum. Contra, ea institutio, quae verbis vti-  
tur singulis, ad ideam exprimendam aptis, diligenterque quaesitis, phi-  
losophicae laudem, nisi forte aliis maculata sit vitiis, meretur. Hinc  
et perficit criterium aliud dignoscendi significationem philosophicam,  
quod est in distinctione vocum idonea, idque hoc: *Significationes, quae  
vocabula, vulgo synonyma appellata, secundum rationes suas distinguunt,*  
*sunt philosophicae.* Ad has distinctiones, earumque rationes iustas, qui-  
bus fulcuntur, requiritur, ne cum vulgari significatione pugnant,  
sed potius eam in primas quasi partes resoluant; deinde, ut ideam,  
aut obiectum, quod indicare debent, magis reddant definitum, atque  
circumscripturn.<sup>g)</sup>

## §. 8.

f) e. g. *Befehl* – *Wille*; *Verheissung* – *Versprechen* – *Angelobung*; *bege-  
ren* – *verlangen*; cf. latina vocabula: *cupere* et *requirere*.

g) ita distinguit vſus philosophicus interdum in *latiorem* et *angustiorem*  
significationem, et hanc iterum in species quasdam dispeſcit, e. c.

*Criterium quartum in usu philosophorum principum  
cernitur.*

Quae hactenus disputauimus, pertinebant ad constituta criteria significacionis philosophicae interna, eaque necessaria, quorum alterum in significatis inueniri debet, ut philosophorum nomine insigniantur; atque ex illis criteriis simul agnosci poterat virtus significacionis philosophicae summa. Attamen his nobis satisfecisse non visi sumus, praesertim cum oculos converteremus ad ipsos philosophorum libros, in quibus significaciones philosophicas secundum hacc criteria quaerebamus. In iis enim praeter eas, de quibus differiuimus significaciones, inuenimus singulare quoddam genus, a vulgari quidem diuersum, sed tamen eiusmodi, ut criteria supra nominata deessent. b)

Nobis quidem statim a primo intuitu philosophici non videbantur tales

vocabula: *intellectus* et *ratio*, *Verstand* et *Vernunft*; usus vulgaris ista vocabula pro synonymis habet; at philosophi, ut constat, distinguunt inter intellectum significatu *latori*, quo complectuntur intellectum significatu angustiori, iudicium et rationem; et inter intellectum significatu *angustiori*, quo indicant facultatem concipiendi notiones; hanc vero distinctionem perspicuitati in docendo optime inseruire, et vulgari usui non repugnare, non est, quod pluribus probemus; vide IACOB, in *Logica*, §. 152 et 156, edit. secundae. Pari modo philosophus recte distinguit vocabula germanica: *glücklich* et *glückselig*, quae usus vulgaris permisit. Quae differit QUINTIL. *Instit. Orat.* lib. I, cap. VI, monita sunt ad vitandam ambiguitatem in elocutione, non ad distinguendam significacionem philosophicam a vulgari.

b) e. c. vocabula: *Geist*, *Vermögen*, (vis) in quibus et vitiosa quaedam inueniuntur, et etymologiae repugnantia e. c. *Vorwurf*, loco obiecti.

les termini, eo scilicet sensu reali et angusto, quem supra exposuimus, (§. 4. not. m.) sed potius sensu *nominati*, i. e. quatenus in notis philosophicis *externis* gaudent. Licet nobis haec vocabula nominare philosophicis *ανάλογα*. Origo eorum haec est. Cum interdum eveneret, ut verba desicerent philosophos, quibus notiones vniuersales, et ideas, cogitatione recitas, perspicue, plene et accurate traderent, non visque inueniendis animum appellere nollent: factum est, ut hic genus suum sequerentur, atque ita verba, quae vulgus sensu angustiori, et, ut loquuntur, in *concreto* sumunt, sensu latiori, et in *abstrato*, de notione et de genere adhiberent. <sup>i)</sup> Inde venit, ut eiusmodi voces significationem nanciscerentur, philosophiae propriam, eamque vulgari longe ampliorem et generaliorem. Evidem non ausus sum, eiusmodi significations e rationibus linguae indubitatis deducere; exissimauit potius, eas ex arbitrio quodam et consuetudine philosophorum loquendi originem duxisse. Quod vero hi significatus philosophis solennes sunt et proprii, atque non, nisi ex eorum libris cognoscuntur, eos philosophicis *ανάλογα* vocare placet; praefertim cum vulgari consuetudini non repugnant. Cum vero eorum quaeratur criterium, aliud constitui nequit, nisi hoc: *Significationum philosophicarum*,

<sup>i)</sup> addi potest et hoc: Verba, quae de rebus corporeis in sensu proprio; siue, de obiecto materiali extra nos valeant, philosophi ad notionem, quae modo in intellectu versatur, transtulerunt; atque ita latior significatio vocabuli orta est; v. c. *Cörper, Raum, Grund, Schwere, Geist, Form*, cet. quae voces in vulgari vsu tantum de specie quadam notionis dicuntur.

rum, quarum usus e rationibus non liquet, criterium est: diserta commemoratione in libris philosophorum, k) earumque usus confitans.

§. 9.

### Vindicatio criteriorum.

**H**is pro viribus nostris elaboratis, opus est, ut sententiam nostram in finiendis criteriis illis tueamur, et a logomachiis defendamus. Cum enim praeuideamus, fore, qui operam nostram minus perfectam et absolutam iudicent: iis iamiam obuiam ire possumus. Quae enim contra moneri possunt, redeunt ad hoc, veluti summum et grauissimum: Philosophiae, obiici nobis potest, licet ut omnibus significationibus vocum, et vulgaribus, et a vulgari vsu alienis, atque dum perspicue et diligenter exponit et indicat, in quanam significatione accipi velit vocabula: significationes vulgares sunt philosophicae, i. e. definitae et perspicuae; hanc ob causam affirmabunt quidam, discrimen inter significationem philosophicam atque vulgarem, et limites utriusque accurate signari non posse; certe non multum ex hoc discrimine obseruato pendere in philosophiam tractandam emolumenti et utilitatis. At vero, nos non negamus, philosopho licere, vulgaribus vocum significationibus uti, eumque adeo illas adhibere posse ad insinuationem.

k) Qua in re nos sere similem sententiam fouemus, illi, quam, ratione linguae germanicae, eiusque usus loquendi optimi doceo propositus  
ADELUNG, über den deutschen Styl, I. B. c. II. §. 10.

tutionem philosophicam; neque etiam contradicimus, dum eiusmodi significations sunt circumscriptae, et diligenter definitae, philosophiarum nomine *quodammodo* dignas esse; quid? quod concedimus, ipsas significations philosophicas in multis vocibus non adeo obtinuisse, et constanter a solis philosophis adhibitas, ut a vulgari vsu sint separatae satis et diuersae.<sup>1)</sup> Sed reputent secum monitores, ipsorum dubia disputationem nostram non tangere. Aberrant enim ab ipsa notione *philosophicae significacionis*, quae secundum expositionem nostram ea est, quae nititur rationibus internis et necessariis vocabulorum, e lingua ipsa petitis. Ex his patet, vel ipsos philosophos, cum adhibeant voces e vulgari consuetudine, a rationibus internis linguae alienas, non valere, significacionem aliquam reddere philosophicam.<sup>m)</sup> Etsi vel maxime euererit, ut vocum quarundam significations, ob usum earum apud magni nominis philosophos, autoritatem nanciscantur praepollentem: tamen et ne hac quidem fortuna vere philosophicae evadunt, dum rationibus iussis desituuntur. Negamus igitur, ex philosophorum usu *qua tali* pendere significacionem vocum philosophicam et internam; sed largimur etiam lubenter, vocabula aliquot, quae interdum contra ius fasque in philosophicam institutionem irrepescere, ob frequentem usum philosophorum, autoritatem quandam philosophicam consecuta esse; atque ita speramus, censores nostros in easdem partes nostras esse abituros.

C 3

§. 10.

1) vid. §. 4. not. o. m) confr. §. 4.

*Necessitatis distinguendarum significationum rationes.*

**R**estat, vt rationes afferamus, quibus moti putauimus, philosophiam tractantium quam plurimum interesse, hanc duplēcē vōcum significationem nosse et distinguere. *Primum* quidem, absque illius cognitione diligenti logomachias omnis generis enasci, iam §. 1. demonstratum est. Quae pugnae miserrimae, et ad naufragium haud raro ventilatae, eo magis improbandae et periculosa censendae sunt, quo acerius et infensius interdum pugnatur, quo plus temporis male consumunt et abiicunt, quo iniuriosius aduersarii saepe tractantur. Sed illud in hac re profecto minimum est. Eiusmodi enim logomachiae ab optimo quoquis et docto ne quidem attentione dignae putantur, atque sic euaneantur.

At vero *deinde*, cum ipsa haec peruersa philosophiam tractandi ratio et ignoratio significationum philosophicarum, verbis subiectarum, eo progrederit temeritatis, atque adeo improbitatis, vt, sanioris philosophiae vocibus, nescio quo sensu intellectis malo, autrem philosophiae ipsum improborum consiliorum, Atheismi, et scelerum quorumvis impurorum accuset: non potuimus istam rationem

fatis

fatis demirari. Optauimus vero etiam, vt talibus iuuenib[us] pariter ac senibus, philosophiae puriori et saniori infensis, placeat, ante omnia aliquot annos impendere studium, in addiscendis philosophiae elementis, atque ita ad mitius et iustius et sanius iudicium ferendum se placide et sapienter componere.


Equidem haud diffiteor, me, iuuenem adhuc et discendi cupidum, non posse animum retardare a studio philosophiae, cuiuslibet tandem nominis sit et famae; sed et affirmo, me e nulla adeo pendere, vt autoritatem sequar. Satis enim multorum temporum historia me docuit, vbi philosophia vera neglecta sit, ibi haud raro dogmata religionis nostrae salutaria ab aduersariis acutissimis risui esse exposita, imo vel religionem totam, quam equidem pia veneror mente, in statum coniectam esse miserrimum. Vbi enim eius doctores et patroni desidiae se dedunt, philosophiam spernunt, eiusque machinationes, a pseudophilosophis struntas, in illos ipsos vertere nesciunt, religionis vis et efficacia diuina in animis hominum torpet, et sensim sensimque religio ab iis, qui rationem suam qualemque in rebus diuinis adhibent, relinquitur, et spernitur.

*Tum;*

*Tum;* nemo ē philosophia tractanda fructum aliquem percipere potest, nisi ante oimia curauerit, ut vocum potestates, quae in philosophia obtinuerint, apprime capiat, atque sic placitorum veritatem et utilitatem recte perspiciat.

*Denique;* neque ipse intelligetur ab aliis, si forsitan tradere illis voluerit dogmata philosophiae, verbis, a philosophicis significatibus alienis, imo obscuritatis et ambiguitatis infelix autor erit. Relinquitur, ut omne philosophiae studium, eiusque tractatio accurata proficiisci debeat e vocibus recte *definitis*, ac *distinetis*. Quicunque igitur cum fructu voluerit tractare, atque addiscere philosophiam, clementis, quibus tradi solet, operam det intelligendis; deinde, ipsius dogmata cognoscat, de eorum veritate sibi persuadeat, atque ita ad veram et exquisitam doctrinam progredietur felicissime.






**ULB Halle**  
001 558 609

3



TH doc





B.I.G.

gehört vor 48

13

DE  
SIGNIFICATIONE VOCVM PHILOSOPHICA  
A VVLGARI PHILOSOPHIAM TRACTANTI-  
BVS CVRATIVS DISTINGVENDA

DISPUTATIO PHILOSOPHICO-CRITICA

QVAM

EX DECRETO PHILOSOPHORVM  
AD LOCVM ASSESSORIS ORDINARI IN ORDINE PHILOSOPHICO  
OBTINENDVM

PRAESES  
CAROLVS FRIDERICVS  
ROSENHAHN

ORDIN. PHILOS. ASSESS. EXTRAORDIN. ET AD AED. ARC.  
DIACONVS

A. D. V. IDVS OCTOBR. A. O. R. C<sup>1</sup>I<sup>2</sup>C<sup>3</sup>I<sup>4</sup>C<sup>5</sup>X<sup>6</sup>C<sup>7</sup>I<sup>8</sup>C<sup>9</sup>  
H. L. Q. C.

PUBLICE DEFENDET  
ADIVTVS RESPONDENTE  
CAROLO GODOFREDO HENRICO  
SCHVNNDENIO

OBERWINCKELIO - MONTANO

VITEMBERGAE  
LITERIS TZSCHIEDRICHII

